# DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
# ASTHMATE,



QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
**PRAESIDIS AC DIRECTORIS,**
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
*D. D. Professorum*
pro
Doctoris Medicinae atque Chirurgiae Laurea
RITE OBTINENDA
in celeberrima
**C. R. ACADEMIA JOSEPHINA**
publicae disquisitioni submittit

***Engelhart Tragseil,***
Tyrolus Oenipontanus, Medicus Castrensis.

---

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
die . mensis Maji 1842.

**VINDOBONAE.**
Typis Caroli Ueberreuter.

# Praeloquium.

Quam Galenus, vetustissimo jam aevo, protulerat sententiam, vitam scilicet, pari cum respiratione gradu procedere, omnes tum ex medicis, tum ex vulgo confirmant. Vitam, omnesque, quas ipsa explet, quibusque conservatur, functiones, strictissimo cum sanguinis a corde ad caeteras organismi partes, atque ab hisce iterum ad cor circuitu, in nexu esse, nemo inficiabitur; nihilotamensecius hunc sanguinis circuitum, consequenter ipsam vitam absque illa, quae a dextro cordis ventriculo per pulmones, ad sinistrum obtinet circulatione, neutiquam constare ac subsistere posse nemini non notum est, et nullomodo in dubium revocandum; quod adeo verum est, ut, illa cessante, vita omniumque functionum exercitium protinus concidant. Quum vero, nisi nulla respiratio ratione praepediatur aut retardetur, hic sanguinis per pulmones circuitus rite perfici potest, quantam ad vitam functionesque ipsius conservandas spartam sibi vindicet, facilis et secundum naturam se habens respiratio, unicuilibet liquido patescit, quantumque e converso haec praepedita vel interrupta, vel quacumque alia ratione perturbata ad morborum evolutionem conferre, ipsosque morbos graviores reddere et organismum in insanabiles ut plurimum labes ducere debeat; cujusmodi luculentissima illi offerunt exempla, qui organorum respirationi famulantium morbis laborant.

Verum inter aegritudines (et plurimi quidem sunt, puta peripneumoniam, pleuritidem, phthisim etc.) quibus tamquam molestum symptoma haec respirandi difficultas adsociatur, nulla profecto illam gravitate aequiparat, quae graeco vocabulo asthmatis nomine passim apud nosologos insignitur; permolestus quidum affectus, qui diutissime ut plurimum, quos corripuit, aegrotos exercet, inque tristissimas angustias conjicit, neque semel ad tumulum tradit. Quae quum mihi, argumentum ex hipocraticis disciplinis pro inaugurali tentamine ad extremos medicinae honores rite capessendos, disserendum selecturo, menti saepe saepius occurrissent, visum est nullum aliud utilius aptiusque me amplecti potuisse. In adfectum enim disquirere de quo, dum haud infrequenter natura penitus latet, curatuque difficillimus est, nonnisi tamen hic illic sejunctae habentur notiones, atque praecipua, quae relate ad ipsum exstant, in unum colligere collectaque medicis demandare, utilitate carere haud potest. Ex alia parte, quum meas quidem vires perpendissem, ad praefixum assequendum scopum haud multum ingenii viriumque requiri, debilemque etiam sufficere tyronem et studiis vix evasurum aestimavi; num mea me fefellerit opinio, tibi, si quis es, benevole Lector, dijudicare spectat, sicuti, utrum mihi res cesserit, nec ne, deinde dijudicare spectabit tibi. Attamen si in naevos atque errores, has quascumque pagellas excurrendo, passim offendes, ipsis indulgeas velim, atque perpendas magna a juvenibus exspectanda non esse, veniamque illum mereri, qui non voluntatis sed virium defectus culpa peccat. Academico mihi muneri satisfaciendum erat, quaecunque potui, feci; in illam tuam benignitatem rogo atque obsecro.

---

## Asthmatis definitio.

Respiratio difficilis cum anhelitu aut sibilo, per vices recurrens, utplurimum etiam anxia, citata, brevis et fortiori totius pectoris nisu et premitu peracta [1]) illam constituit affectionem, quae a graeca voce αω αὐθμαιρειν, alitare, asthma apud pathologos et nosologos audit, atque ab Helmontio pulmonum epilepsia nuncupatur.

## Divisiones.

Plures apud medicinae scriptores inveniuntur hujusmodi morbi differentiae ac divisiones; et jam asthmatis levis vel mitis et gravis mentio est, et plethoricum, inflammatorium, acutum recordantur, neque obliviscuntur praecordiale, convulsum, periodicum, continuum, chronicum, idiopathicum, symptomaticum, stomachicum, intestinale, uterinum, verminosum, flatulentum, saburrale, hystericum, hypochondriacum, siccum, humidum, exanthematicum, cachecticum, arthriticum, syphiliticum aliaque similia quamplura, quorum infinitus pene numerus a celeberrimo aliunde Sauvagesio recensetur [2]). Attamen quum, ut unicuilibet

---

[1]) Cornelioni Inst. pathol. gen. t. 2. p. 116.
[2]) Nos meth.

facile patet, hae omnes divisiones, causis, quibus asthma gignitur vel sustinetur, innixae sint, non multi ipsas faciendas esse clare elucet. Quapropter in continuum tantum et periodicum asthma cum praeclarissimo Floyero, qui postquam per triginta annos et amplius hoc morbo laborasset, perbellam deinceps de illo memoriam conscripsit, scindere malimus.

## Hypotyposis.

Asthmatis hypotyposim adumbraturi pulcherrimam, quam Arethaeus tradidit hujusmodi morbi descriptionem non referre nesciremus, ideoque ipsissimis praestantissimi auctoris verbis hic locorum illam exponimus.

Et primum relate ad symptomata prodroma asthmaticae adfectionis ab Arethaeo recensentur.

„Gravitas pectoris, tarditas ad opus solitum, et „ad aliud quodlibet gerendum, in cursu, aut in acclivi „itinere difficilis et aegra spiratio; raucescunt, deinde „ait, ac tussiunt, flatus in praecordiis atque eructatio„nes praeter rationem excitantur, vigilant, noctuque „parum et obscure incalescunt, nares acutas ad spira„tionem paratas habent. Si malum in pejus ruat, malae „rubent, oculi prominent, veluti in his qui strangulan„tur, stertunt dum vigilant, multo magis cum dor„miunt: humida, obscura, sonoque carens vox est, „multum et frigidum aërem cupiunt; sub die ambulant, „quaelibet enim domus ipsis ad trahendum spiritum „parva et angusta est. Erecti spirant tamquam omni „aëre attracto potiri cupientes; prae aëris autem cupi„ditate, et os aperiunt, patefaciuntque, tamquam eo „ampliore indigentes. Ipsorum facies, praeter malas,

„quae rubent, pallida est; sudor circa frontem et ju-
„gula emanat, assidua et aspera tussis infestat reji-
„ciuntur pauca, tenuia, frigida, veluti quaedam spumae
„efflorescentia; arteriarum pulsus parvi, crebri atque
„depressi, plura exilia. Quod si haec ulterius incre-
„menta capiunt, instar comitialis morbi nonnunquam
„homines strangulant. At si vertantur in melius, tussis
„longior et rarior fit, plura excernuntur saniosa sputa
„et humidiora; multa per ventrem aquea exturbantur,
„urinae copiosae excernuntur, licet nondum quidquam
„in ea subsideat; vox sonantior elatiorque redditur,
„somni longiores, quantum satis fuerit efficiuntur; prae-
„cordia remittunt; dolor interdum ad scapulas cum mis-
„sione transit; anhelitus rarus, levis, sed cum aspe-
„ritate fit [1]."

Haec tamen, quam praetermittere nescivimus celeberrimi hujusce morborum pectoris asthmatis descriptionem, non ex integro istiusmodi passionis nosographiam explet, quare jam alia exponenda aggredimur, quibus illa perfectior, quolicet, evadat.

Asthma sive continuum, sive periodicum nonnullos relinquit plus minusve diuturnas remissiones atque intermissiones, et ad intervalla exasperatur vel redit. Hi vero paroxysmi, qui ad statutas nonnunquam periodos, alias absque lege in conspectum veniunt, modo praegressis prodromis, modo absque illis de repente aegrotantes adgrediuntur. Dum prodroma praecedunt, quemdam consuetim plenitudinis atque inflationis ad epigastrium sensum experiuntur aegri, quae quidem sensatio tum ab horizontali in lecto decubitu, tum a calore a cibis vel potibus ingestis aliisque similibus quamma-

---

[1]) L. 3. C. XI.

xime exasperatur. Accedunt deinde capiplenium, ardor, vel dolor quidam peculiaris in capite, in facie, nec non universalis dysphoria, totiusque corporis gravitas. Frequentes hisce adduntur oscitationes, micturitio, ardor et calor in pectore, rubor, turgorque faciei insolitus, et aliquando insatiabilis fames, quam tamen explere vetat molestissima anxietas, ciborum sumptionem excipere consuescens. Interdum anorexia, nausea, vomitus, ptyalismus, extremitatum, capitis, et praecipue occipitis frigus, monente perillustri Baglivio, paroxysmum praenunciant proximumque denotant.

Si accessus de repente ingruit, quod generatim nocturno tempore obtinet, aegrotantes, si fortuito indulgent somno, illico ab ipso excitantur, atque e lecto exsurgere coguntur, fenestras rapido gradu petere ipsasque aperire ad frigidum purioremque aërem adquirendum. Interim caput nonnunquam dolet, aurium tinnitus adest, oculi prominentes cernuntur, micantes, atque interdum vertigine obnubilantur, facies tumet ac livescit, vel pallida, si rubicundas excipias genas, adparet. Carotides vehementer micant, sanguineque turgent, quemadmodum ingenter turgent et jugulares venae. Spasmodica oritur in faucibus constrictio, quae eo nonnunquam increscit, ut deglutitionem praepediat, suffocationemque minitetur, cujus metus aegrotos invadit, ac quammaxime vexat. Pectus valide constringitur, et praesertim circa diaphragma, quod testante celeberrimo Burserio [1]), quasi zona arcte circumdari videtur, quodque interdum, uti a perillustri Alibert colligitur [2]), veluti cultris discerpi persentitur. — Cordis pulsationes vehementes, irregulares, inordinatae perci-

[1]) Inst. med. pract. T. IV. p. 174.
[2]) Nos. nat. T. 2. p. 204.

piuntur; vox primum rauca fit, dein faucibus haeret, vel saltem loquela adeo intercipitur, ut nonnisi summa cum difficultate aegrotantes verba moveant, interruptasque tantum et imperfectas voces edant. Respiratio fit difficillima, brevis, concitata, admodum anxia, cum anhelitu vel stertore conjuncta. Frigent extrema, quod constans est asthmatis symptoma, molestaeque et dolorosae ad nucham interque scapulas tensionis et retractionis sensus oritur. Summa miseros anxietas angit, quos quovis temporis momento suffocationis terret metus. Diducuntur nares, recluditur, quo magis conceditur, os, aëremque avide attrahunt, magisque si frigidum, qui aliquod interdum tot angustiis lenimen affert. Inanis praeterea, sicca, frequens, et permolesta tussis hisce omnibus comitem se facit. Abdomen tumet, inflantur praecordia. Alvus in paroxysmo constipata consueto servatur, urinae maximam in copiam emittuntur, et spasticam inferunt indolem; pulsus modo sunt fortes, vehementes, fibrantes, modo parvi, exiles, suppressi, inaequales, intermittentes. Frigidi viscidique sudores, tremores universales, spasmi clonici, spastica et tetanoidea musculorum pectoris contractio, materiei biliosae vomitus, animi deliquia et syncopes tristissimae scenae finem imponunt.

Cunctis asthmaticorum angustiis referendis impar est lingua, verum quaenam illae sint, luculentissimum praebet exemplum juvenis quidam asthmate tentatus, de quo loquitur praeclarissimus Alibert, quodque hic locorum silentio praeterire nolimus.

„Allorquando," inquit perspicacissimus hic vir, „un „giovane, che assistevamo nello spedale di S. Luigi era „preso dal suo accesso, non aveva neppure la forza di „togliersi i suoi abiti per coricarsi. Al più leggiero mo- „vimento il suo petto si gonfiava, il suo cuore pulsava

„con violenza, e l'inspirazione non accadeva in lui che „con una difficoltà estrema: non formava che de' suoni „rauchi, né poteva articolare due parole senza ripren- „dere fiato; i suoi bronchi sembravano essere total- „mente ostrutti da un denso muco. Se questo disgra- „ziato voleva prendere un poco di sonno, cominciava dal „porsi a sedere sulla sponda del suo letto, si riposava „un momento, alzava una gamba, e terminava col porsi „finalmente tra le sue lenzuola; rimaneva per qualche „tempo seduto, e non si sdrajava, se non quando non „era più riscaldato. Questo soggetto soffriva ad un se- „gno tale da non poter sopportare il più leggiero peso „sul suo petto. Una tosse convulsiva lo stancava orri- „bilmente per delle ore intiere; dopo tante fatiche ri- „maneva in una specie di sbalordimento e di stupidità; „immaginavasi di essere constantemente abbagliato da „delle scintille. In un caso fu costretto a starsene in „piedi per otto notti consecutive; si poneva in uno di „que' carucci, di cui si fa uso per insegnare a caminare „ai bambini: col mezzo di questo stratagemma il peso „del suo corpo si poggiava sopra de' bastoni che sor- „reggevano le sue ascelle. Percorreva cosi da se stesso „la camera da una parte all' altra, finchè il sonno ve- „nisse ad aggravare le sue palpebre; si addormentava „allora in questa situazione . . ." [1]).

Haec autem, quae mox memoravimus, morbosa phaenomena, quaeque asthmaticum paroxysmum constituunt, non semper per idem temporis spatium aegrotos exercent, et modo post bihorium vel trihorium jam evanescere incipiunt, nunc per nycthemerum infestant, alias nonnisi post tertium, quartum, vel quidem octavum diem decedunt. — Paroxysmum

---

1). Ap. C. Y. C. p. 209.

decessurum denotant omnium symptomatum imminutio, facies et collum paulatim detumefiunt, remittit spastica diaphragmatis constrictio, cor minus vehementer micat. Respiratio jam facilius perficitur, atque magis magisque ad normam redit circulatio, quapropter extremitatum frigus excipit modicus et blandus calor. Rarior et mitior evadit tussis, quae non amplius siccam et inanem se praestat, sed copiosa persaepe viscidae et tenacis materiei expuitione comitatur. Imminuitur pectoris anxietas, vox clarior et fortior, loquela expeditior est. Urinae rubicundae adparent copiosumque non raro sedimentum demittunt. Solvitur aliquando alvus et diarrhoice fluit, praecordiorum inflatio evanescit. Cutis sudore nonnunquam madet. Pulsus rarior, magisque elatus et expansus, parumque a norma deflectens percipitur.

Neque minorem quam in durationis tempore varietatem offert quivis paroxysmorum reditus, si enim in hoc subjecto quovis die in conspectum venit accessus, in illo nonnisi post binos, post quatuor dies, post hebdomadam et amplius recurrit, et praelaudatus Alibert exemplum tradit juvenis, qui omni veneris die asthmatico insultu tentabatur. Nonnulli medicinae scriptores asthmatis paroxysmos memorant, singulis mensibus, praesertim iu feminis, quarum morbus a catameniorum retentione pendebat, contingentes; atque de hominibus mentionem habent, qui semel tantum quovis anno asthmate corripiebantur.

Quoad anni tempus, quo frequentius occurrere solent, discrepant auctorum sententiae. Praelaudatus tamen Floyerus in semetipso expertus est plures aestivo, quam hiemali tempore accessus obvenire. Sexdecim ipse hieme, viginti aestate paroxysmis deprehendebatur; sextili mense omnium gravissimi erant. Quo lon-

giores, eo diuturnius quietis intervallum relinquebant. Calor lecti ipsos adaugebat, quodcunque frigus impune ferebat.

In intervallis autem, quae unum alterumve accessum intercedunt, aegri non adeo bene se habent ut perfecte reconvalescant, singulus enim accessus organisationi insidias aliquomodo struit, ipsamque labefactat. Namque sive permanens sit, neque ullis amplius artis adminiculis amovibilis asthmatis causa, sive tales jam morbus posuerit effectus, ut non amplius devinci queant, morbus paulatim progreditur, et organismus tales patitur labes, per quas propriis fungi nequeat functionibus. Hinc asthmaticorum pedes, manus et facies oedematose continuo tument, jam serosus latex in thoracis cavo morbose effunditur, jam aqua turget abdomen, jam sero repletur textus cellularis (hydrothorax, hydrocoelia, anasarca) totusque organismus cachecticae defoedationi committitur, quae aegrotantes in summum vitae discrimen adducit atque ad tumulum tradit. Respiratio interim semper plus minusve a norma abhorret, tussis indesinenter vexat, non modo sicca, sed catarrhalibus notis insignita, cum sputis copiosis, albicantibus, flavescentibus, viridescentibus, atque inveterescente morbo, dulcem, seri sanguinis aut liquiritiae adinstar, saporem adipiscentibus; quod cum phthisi laborantibus commune habent, atque profundam organisationis labem denotat. Alias e converso putridum, vel salsum, vel acidum saporem referunt, neque infrequenter sanguineis striis signantur. Facies luridum et plumbeum colorem adquirit, brachia torpent, vel paralysis unius alteriusve lateris supervenit, et referente Gohlio [1]) aliquando, dum aegri jam morti proximi sunt, amaurosis. Organorum

[1]) De asthmate convuls. a polypo cordis.

digerentium labefactatur vis, concidit nutritio, tabescit corpus. Hisce omnibus additur febricula quaedam, typi irregularis, circa vesperas exsurgens, matutinis sudoribus comitata, quae post diuturnas et immanes angustias miserando spectaculo cum morte finem imponit.

## Aetiologia.

Asthmatis nosographia tali modo exarata, nunc de causis, quae ipsam gignere queant, disserendum est.

Asthmatici adfectus causae innumerae pene ab auctoribus recensentur; nobis autem, strictis dissertationis limitibus coactis, longe abest, quod de omnibus mentionem habere velimus, paucisque contenti, praecipuas tantummodo enumerare sat habemus. Atque, ut de proëgumenis primum momentis, sive de illis, quae in morbum praedispositionem largiuntur, aliqua proferamus, commonere juvat prae caeteris, ad asthma suscipiendum proclivia se praestare subjecta, quae nervoso, vel sanguineo, vel ex hisce mixto temperamento a natura praedita fuere. Homines facilius ac frequentius quam foeminae, testantibus cum praestantissimo Floyero quamplurimis, in hunc adfectum labuntur. Succiplenos, corpulentos, pingues in asthma proniores esse celeberrimo Friderico Hoffmanno omnes assentiunt. Qui mala gaudent corporis constitutione, qui gibbum vel angustum nimis thoracem referunt, qui nervosis adfectionibus magis sunt dispositi, faciliore negotio asthmate tentantur.

Quod autem procatharcticas causas attinet, omnium primo eas in internas, externasque scindere confert; in illas scilicet, quae inter potentias externas enumerari solent, illasque, quae jam exstantes organismi labes

constituunt, quarum nonnisi symptoma asthma esse consuescit. Inter priores non ultimum sane sibi vindicant locum animi pathemata, quemadmodum essent: ira, metus, terror, timor, moeror ex aerumnis domesticis et sic porro. Asthmatis ex cibo et potu post vehementem iram insumpto, historiam tradit praelaudatus Hoffmannus [1]) clarissimusque Riedlin de juvene refert, qui ab ira in gravissimam asthmatis speciem offendit. Exemplum morbi, de quo sermo est, a diutino ex aerumnis domesticis moerore, a perillustri Wilson enarratur. Asthma ex terrore in homine enatum fuisse auctor est celeberrimus Zimmermannus.

Postea merito recensenda veniunt, utpote huic morbo gignendo paria, exanthemata impetiginesque improvido consilio retropulsa et potissimum erysipelas, variolae, magisque morbilli, scabies, herpes, crusta lactea et similia. Erysipelas ad interiora repulsum, asthmatis quod juvenem aggressum est, in causa fuisse ab Hoffmanno colligitur. Puerum asthma de repente deprehendisse ex eo, quod tinea refrigerantibus remediis cito nimis exutus ivit, Carolus Piso auctor est. Frequenter in nosocomio Charitatis Parisiis morbum, de quo loquimur, cum herpete squamoso humido alternativas obtulisse, docet clarissimus Alibert. Ipsum adfectum pluries ab herpete originem duxisse Ascoffius observavit. Scabiei denique repressae utpote consecutaneum adnotarunt Quarinus, Plouquet, Osiander aliique.

Eandem porro actionem exserere valet habitualium, sive naturalium, sive morbosarum, sive artificialium secretionum, et profluviorum subitanea suppressio, sicuti contingit post catameniorum, haemorrhoidumque, docente praeprimis immortali J. P. Frank, flu-

---

[1]) Consult. et respons. cent. med. — cent. e. p. 209.

xum de repente cohibitum, post epistaxim consueto more obvenientem, jamque deficientem, (cujusmodi exemplum Cartesius tradit) post leucorrhoeam, saturninis praecipue remediis ad sanationem cito perductam, post ulcera tempestive remarginata, post derelictum habitualis venaesectionis usum, post denique diarrhoeam illico coërcitam. Hisce accedunt perspirabilis materiei intra organismi cancellos retentio, quae praecipue in scorbuticis, si Hallero fides est habenda [1]), asthma gignere consuescit, pedum foetor repressus, arthritici, rheumatici et podagrosi acris ad pulmones translatio, aliaque id genus.

Ex represso pedum sudore asthmaticam passionem ortum duxisse laudatus jam pluries Hoffmannus auctor est, qui equidem exemplum refert hominis, triginta novem annos nati, a repulsa ad interiora podagra, in morbum, de quo disserimus, collapsi [2]). Hisque adjungendae sunt vicissitudines athmosphaericae de repente obortae, quae maximum in organismo animali, cutaneam utplurimum transpirationem sufflaminando, influxum exserunt, atque maximopere ad asthmatis evolutionem conferunt, quid quod major in autumno quam in aliis anni tempestatibus hujusmodi morbi frequentia sat superque testatur. Quidquid in medium proferat Floyerus ad tuendum frigus vix unquam asthmatis genesi favere, illi assentiri nescimus, maximam enim illud spartam hoc in negotio sibi vindicare extra omnem dubitationis aleam posuere, cum quotidiana experientia, plurimae medicorum observationes, et praeprimis Wilsonii et Hoffmanni, quorum postremus exemplum refert juvenis, vehemente asthmate correpti ex eo, quod corpus

---

1) Syn. univ. med. pract. t. 1.
2) Med. rat. syst. t. c. p. 158.

incauto consilio frigori exposuisset [1]). Tradit etiam praelaudatus auctor de homine tali morbo tentato ex represso oedematoso pedum sudore. Calorem excedentem asthmaticam adfectionem fovere docet perillustris Huxhamius, et Floyerus, ut supra docuimus, tradit, asthmate laborantes aestivo tempore pejus se habere. Ast quomodo magnam non conferet symbolam ad hunc morbum progignendum aër, heterogeneis et praecipue irritantibus particulis inquinatus? Aër reapse, utpote qui in immediatum cum pulmonibus contactum venit, maximam in asthmatis genesi sibi vindicat spartam, quemadmodum abunde testantur hujusmodi morbi exempla in illis frequentissima, qui alicui opificio indulgent, quod in locis reclusis, vel inquinato aëre scatentibus exercendum est. Hinc fit, quod asthma, sicuti rite docet clarissimus Ramazzinius [1]), communem molitoribus, lapicidis, vibratoribus, frugum mensoribus, lini et lanae carminatoribus etc. morbum sistat. Hinc fit, quod haec adfectio metallicorum vaporum, arsenicalium, sulphureorum, saturninorum, carbonum fossilium, aliorumque inspirationem excipit.

Hinc fit, quod in mineris laborantes valdopere asthmati obnoxii sint; quibus positis facile comprehenditur quomodo, ut ex anglicanis transactionibus colligitur, pulvisculorum ex ipecacuanhae contusione manantium inspirationi asthma subsequum esse potuerit, atque rationi consonum esse, quod Doctor Zallony, qui perbelle de asthmate conscripsit, tradit, primam nempe in ipso hujusce morbi originem ex coloquinthidis in pharmacopolio trituratione repetendam esse.

---

[1]) Med. rat. syst. l. c. p. 169.
[2]) De morb. artif.

Praeter autem mox recensitas plures aliae adsunt hujusce classis causae quas breviter jam exarare adgredimur. Et primum in conspectum venit acrium substantiarum, venenorumque ingestio. Recensere deinde decet liquorum spirituosorum abusum, atque quotidianum irritantium et calefacientium substantiarum pro alimentis usum. Cibos flatulentos asthma progignere cum Baglivio, Camper et Stollius docuere. Hoffmannus de homine tradit ipso morbo tentato ex eo quod permulto motui in juventute assueto, segnetem sene facto, duxisset vitam. Quos prope ignes laborant in asthma facili negotio offendentes declaravit Arethaeus. Conatus ad loquendum, vociferatio, declamatio, cantus, eundem gignere queunt effectum. Evanitae ischuriae asthma subsequutum per vices fuisse Riverius auctor est [1]. Remedia ex saturninis praeparatis desumpta utpote istius morbi causa criminanda nonnunquam fuisse docet perillustris Burserius [2], eademque culpa mercuriales frictiones notari ex aliorum observationibus constat. Veneris abusum, et inhonestam manustuprationem hisce adjungere licet, neque praetermittendus est casus a Platero recensitus hominis qui quotiescunque veneri satagebat, in gravissimum asthmaticum accessum incidebat. Profusiora denique profluvia (sputa menstrua, lochia, diarrhoeam, vomitum, sudores in febribus intermittentibus, haemorrhoides) emeticorum et purgantium abusum, phlebotomiam frequentius, quam par sit, institutam, lapsus, costarum luxationes, fracturae, vulnera, contusiones dorsi, aliasque permultas, quas brevitatis gratia praetermittimus, inter externas asthmatis causas enumerare oportet.

---

[1] Prax. med. c. de asthm.
[2] Op. e. l. c. p. 173.

Inter vero interna procathartica asthmatis momenta, sive ea quae organismo ipsi inhaerent, omnium primo cordis majorumque vasorum organica vitia recensenda veniunt, quemadmodum essent: cordis aortaeque polypi [1]), aortae coarctationes, ossificationes, ipsius idem accordis aneurysmaticae dilatationes, valvularum rigiditas, tumoresque in aorta vel corde exstantes, et haec organa prementes, cor abnormiter conformatum, ventriculorum ipsius communicatio et sic porro. Hisce accedunt hydrocardia, hydrothorax, diaphragmatis spasmus, vel phlogosis, pulmonum hydatides, variolae, catarrhi, cacochymia, gastritis, musculorum thoracicorum paralysis, hysteriasis, hypochondriasis, helminthiasis, organicae hepatis, lienis, uteri, renum degenerationes et similia. De asthmate ex nimia glandulae thymi crassitie, deque alio ab asperae arteriae ossificatione prodeunte loquiter Floyerus. Ex thyroideae induratione hunc adfectum obortum observavit Letson, atque Camper asthmatis mentionem habet, quod ab induratis tumefactisque lymphaticis colli glandulis proveniebat. Ex calculis in pulmonibus exstantibus, Bonnet, Lieutaud, Plater; ex tuberculis pulmonalibus Salbut et Bayle; ex vomicis Morgagni et Bartolinus asthma profluere observarunt. Boerhavius et Bonnet de asthmaticis referunt ab adiposo in mediastino tumore. Oedema pulmonale utpote hujusce morbi causam adnotarunt Albertinius, Laennec et Barnere. Pulmonum emphysema a Störk, Brechet, Magendi et Laennec; diaphragmatis ossificatio a Rostan, aortae cordisque aneurismata a Lieutaud, Morgagni, Corvisart, Kreysig, Wepfer, arteriae pulmonalis ossificatio

---

[1]) Piso de morbi ex colluv. scr. p. 214.

a Santifortio utpote asthmatis causae criminatae fuere. Denique hydrothoracem Hallerus et Boerrhaavius, Haenius et Riedlin, rachitismum, Ferrus plexus pulmonalis ossificationem mox recensitis asthmatis causis addiderunt.

De causa proxima ac sede asthmatis diversissimae dantur opiniones.

Galenus ut ejus causam agnovit humores inspissatos mucosos nec non tubercula pulmonum et confundebat huncce morbum cum aliis in organis respiratoriis obvenientibus turbis.

Celsus eodem modo dispnoeae et orthopnoeae asthma declarat speciem, et putat illud coarctatione partium inniti. Ejusdem opinionis Arethaeus esse videtur.

Avicenna et Arabi analogiam inter asthma et insultus epilepticos et spasticos inveniunt. Credit ille causam esse aut mucus spissus in viis aëris intrans, aut humores de encephalo ad partes inferiores descendentes.

Van Helmont pro causa excitante asthmatis vehemens principium agnoscit quod ex essentia quorundam intestinorum proveniat. Proprium huic esse quod contractionem in viis respiratoriis excitet. Serius hoc principium nomine „epilepsiae pulmonalis“ insignivit.

Sennert. Galeni opinionem deserens bronchorum coarctationem pro causa assumit. Ad assertum suum comprobandum largas disquisitiones submittit

quibus ejusmodi constrictiones produci possent, et opinatur eas fluidis esse adscribendas in brônchiis et pulmonibus contentis.

Riviére asthma causantem humorem ex encephalo in pulmones devenire arbitratur, et obstructionem bronchorum exinde nasci. Quod si humor iste in bronchis libere fluit, asthma tunc oriri stertorosum; stagnationi vèro illius in substantia pulmonum asthma spurium et non stertorosum.

Sydenham asthmati locum intermedium dispnoeam inter et orthopnoeam adsignat; in dispnoea obstructionem pulmonum, in asthmate obstructionem bronchorum reperiri contendit.

Bonnet de essentia hujus affectionis sequentia profert: „Secundo tracheae ductus, nonnunquam a „fibris eorum spasmodice affectis, propius contracti et „occlusi aëri ad debitam inspirationem aditum negant: „hinc cum nulla sit in pulmonibus obstructio aut mala „conformatio nulla insuper diaethesis tabida, tamen a „fibris istis praeternaturaliter convulsis et simul con„tractis asthmatis paroxysmi horrendi saepe oriuntur. „Praeter hos inspirationis laesae casus, subsunt quidem „alii qui propter aërem in primo aditu reddunt inspi„rationem difficilem."

Willisius tres asthmatis varietates statuit. Medicos antiquioris temporis, quemadmodum plurimi recentioris nonnisi primam varietatem cognovisse putat, et pro unica causa excitante hujus morbi lumen bronchorum coarctatum assumsisse ab obstructione aut contractione harum viarum obortam. Ob hanc coarctationem non amplius sufficientem aëris quantitatem bronchos ex-

cipere, qua propter functiones pulmonum dolorificae redduntur; secunda varietas ipsi est convulsiva, in qua morbosa e variis locis scaturiens materia organa respirationis invadit eorumque actionem supprimit; pro tertia varietate asthma mixtum adducit, quod simultaneo ambabus causis oblatis innititur.

F. Hoffmannus aeque tres varietates asthmatis statuit, prouti nimirum bronchi muco infarciantur aut status iste spasmo organorum respirationis originem debeat.

Secundum Sauvagesium causa proxima asthmatis in impedimento periodice subintrante, sita est, quod coarctationi et dilatationi pulmonum sese alternatim objiciat. De proprietate hujus impedimenti tamen nihil protulit.

Cullenius asthma inter spasmodicas adfectiones functionum vitalium refert. Proximam causam in spasmodica contractione fibrarum muscularium bronchorum quaerit, quae non solum impedit, quo minus bronchi libere dilatentur, sed etiam rigiditatem inducit exspirationem summopere angentem.

Pinelius asthma neurosibus organorum respirationis accenset.

Ryan asthma influxui aëris frigidi in pulmones et spasmo tonico hujus organi exinde provocato inniti opinatur.

Federigo omnia quaecunque inspirationis aut exspirationis motus impedire valent pro causa affectionis asthmaticae consideranda posse censet. Tale impe-

dimentum autem tunc solum praesto esse, si larynx, trachea et bronchi rigescunt, inflexibiles sunt aut spastice contrahuntur, et hac ratione aëri introitum liberum denegent.

Robert Brae qui ipse asthmate laboravit quatuor varietates hujus morbi assumit, cumque sequenti modo definit: „Asthma consistit in nimia contractione musculorum respirationi dedicatorum, absque febre comite, excitata irritatione quorundam intestinorum, ad quorum functiones exsequendas hi musculi contribuunt.

Laennec catarrhum pulmonum chronicum pro causa communissima asthmatis ducit. De existentia fibrarum muscularium in circumferentia bronchorum persuasus supponit, quod pari modo ac ramificationes bronchorum etiam vesiculae pulmonales spasticae contractionis participes reddantur.

Delens sedem asthmatis in cellulas bronchiales et praesertim in apparatum muscularem a Reisseisen evictum collocat. Strepitus siccus et sibilans secundum illum solum coarctatione ostii vesicularum pulmonalium producitur.

Bégin causam asthmatis in irritatione membranae mucosae organorum respirationis quaerit, quae sympathicam contractionem secundariam musculorum bronchialium et thoracis subsequentem habet.

Bricheteau opinioni Bégini adhaerere videtur; ansam proximam asthmatis quippe etiam in irritatione aut inflammatione membranae mucosae bronchorum locatam esse censet, et denominationem asthmatis nonnisi ad illas inflammationis varietates restringuendam

esse ducit, quae coarctationem aut atresiam bronchorum producere valet. Forsan, inquit, nervi magna potestate ad hanc coarctationem provocandam pollent?

Reisseisen et Cruveilhier asthmati coarctationem fibrarum muscularium bronchos obducentium spasmo innitentem supponunt.

Broussais asthma neurosibus functionum internarum accenset, et causam phoenomenorum sub asthmate in conspectum venientium spasmo cordis, utpote respirationis regulatoris supremi. A momento ex quo actio cordis turbatur aeque pulmonum functio necessario laedi contendit.

Rostan asthma pro constante adfectione symptomatica statuum morbosorum cordis aut vasorum majorum declarat.

Georget tandem adfirmat causam phoenomenorum asthmatis in encephalo et intra thecam vertebralem esse quaerendam, non autem in corde aut pulmonibus.

Ex hac opinionum tanta diversitate elucet, quod plurimi censeant, hunc morbum coarctatione momentanea bronchorum inniti; causam vero hujus coarctationis auctores vario intuitu sibi explicavere. Quo propior sententia recentiori tempori accedit, eo plures exstant defensores pro spastico statu fibrarum muscularium bronchorum. Structura muscularis viarum respirationis primum per Reisseisen sub initio hujus saeculi demonstrata fuit; ex quo tempore etiam major de asthmate opinionum concentus.

Andral aeque huic opinioni indulget, et fatetur, quod opinionibus Bégini Bricheteaui et Laennecii suae plane correspondeant. Ipse sequenti modo hunc morbum definit: asthma contractione spastica bronchorum innititur, quae momentis quibuscunque excitatur directo aut sympathico modo in membranam mucosam pulmonum morbose influentibus.

Idem de hoc morbo adhuc sequentia argumentatur: „ex observationibus hucusque factis elucet, mo„menta asthmati provocando paria proxime in nervos „influxum suum exercere, qui membranae mucosae bron„chorum prospiciunt, in causa hujus influxus materia„lem alienationem in hac membrana mucosa produci, „postea spasmo tonico stratum musculorum superius si„torum corripi, quo insultus asthmatici proliciuntur. „Repetitiones insultuum crebriores successu temporis „texturae alienationes partium morbo correptarum sub„sequentes habent, quae characterem chronicae desor„ganisationis praeseferunt. Hac ratione ex neurosibus „inveteratis chronicae fiunt degenerationes. Hac aeque „ratione numerosae ab auctoribus diversis statutae di„visiones coincidunt et idcirco nonnisi asthma simplex „aut complicatum dari sponte liquet."

## Prognosis.

Hisce praemissis difficillimum nunc argumentum adgrediendum esset, quaenam scilicet, istiusmodi pathematis sit causa proxima et nosogenia investigandum. Attamen quum ex superius prolatis illam diversam pro diversis circumstantiis esse posse clare innotescat, libenter huic disquisitioni supersedemus, jamque ad asthmatis prognosim exponendam properamus.

Contumacem generatim morbum asthma sistere, omnibus utplurimum artis conaminibus renitentem, atque in recidivas promptissimum, celeberrimus jam Burserius adnotavit, et Kleinius hanc protulit sententiam, quod nimirum aegre juniores, senes nunquam ab ipso liberantur. Quod quidem tam verum est ut omnes assentientes invenias anctores. „Asthma inveteratum, est „sententia Floyeri, difficillime aut vix unquam cura-„tur.“ Sed en quae de hac re tradit Hoffmannus: „Ubi malum recens est, inquit ille, et sola praecordio-„rum constrictione spasmodica oritur, spes est salutis, „maxime si motus arthritici, podagrici, ulcera et exan-„themata ad sua loca revocentur. Quod si vero invete-„ravit adfectus, aut si perversa tentatur medela, tran-„sit in pectoris hydropem, viscerum imo ventris ob-„structiones, ac infarctus, pedum oedemata, cachexiam „et hydropem universalem... Generatim, prosequitur „ille, sciendum est, omne asthma convulsivum vel prae-„ceps exitium atque repentinam suffocationem inferre, „maxime ubi subest cordis polypus: vel diutius inhae-„ret, atque hydrope perimit aegrotantes, quo in casu „lethiferum est si patiantur febrem lentam, pulsum in-„aequalem ac intermittentem, paralysim brachiorum, „continuam cordis palpitationem, imminutam mictionem „syncopem, tunc enim in propinquo mors est. Quidam de-„nique superveniente pulmonum inflammatione exstin-„guuntur. Quo gravius malum, eo languidior fit pulsus. „Asthma in senibus comitatur plerumque usque ad mor-„tem... Quo majori impetu et vehementia accessio et „diutius durat, et crebrius recurrit eo plus periculi sub-„est, et suffocatione jugulat [1].“ Raro vero suffocatione aegros asthma in accessibus enecare clarissimus Raimannus auctor est. „Qui gibbi in asthmate tussi

---

[1]) Med. rat. syst. l. c. p. 153.

„fiunt, juxta Hippocratis oraculum, ante pubertatem moriuntur [1]." Pueros et feminas idem ac senes in majus vitae discrimen adducit asthma. Cordis palpitatio et pulsus intermittens extra paroxysmum permanens male ominatur, nam e cordis vitio organico morbum profluere denotat. Animi deliquia crebriora, docente perillustri Quarino [2], proximam mortem praefantur.

Boni e converso ominis praebent signum catameniorum, haemorrhoidumque fluxus, praesertim ubi eorum retentio in morbi causa fuerit, pedibus oedema superveniens, atque sicuti mox citatus Quarinus docet, tussis jam siccae in humidam mutatio. — Vogelius denique per febres quartanas, crurumque abscessus asthma solvi observasse testatur.

## Terminationes.

Ex iis, quae mox protulimus, asthmatis terminationes eruere licet. Dum mitior recensque est, neque ab organici vitiis sustinetur, aegerque bona antea valetudine est gavisus, rectaque cito therapia instituitur, ad sanationem aliquando, potissimum in junioribus, perduci potest. Morbos inter, quos secundario inducere valet, et in quos transit, docente praelauduto Raimanno, pneumonitis interdum acuta, saepius chronica, hydrothorax, phthisis pulmonalis, cordisque arteriarumque majorum aneurismaticae dilatationes recensendae sunt.

---

[1] Lect. VI. aph. 46.

[2] Anim. in nonn. morb. praesertim cor. p. 70.

Gravior morbus, quique ab organicis vitiis pendet, senesque exercet, vel male curatur, lethum affert.

## Therapia.

Hisce expositis, jam in hoc morbo instituendam therapiam aggredimur, primum tamen monentes, hanc pro causarum, quibus morbus gignitur, sustineturve, diversitate diversam esse debere. Ante omnia vero ad ipsas causas, ubi possibile est arcendas, niti debet medicus, quem ad assequendum scopum, consuetis utatur medicinae auxiliis oportet. Hoc autem peracto, ad effectus ab ipsis positis tollendos animum convertere necessarium est.

Quam primum prodromi insultus asthmatici intrant aegrotantes aërem librum frigidiusculum inspirare studeant, situm eligant talem, in quo motus respirationis quam possibile faciles peragi possunt; vestes, quibus corpus nimis coarctaretur, omnes deponendae sunt, et in quiete summa silentium perfectum est observandum. Asthmatici lectum petere non debent prius, ac spes iis arridet somnum delassatione invitatum capiendi; alias phoenomena morbosa semper ingravescerent. Haec praecepta si rite observantur, insultus, uti Andral ex propria experientia testatur, cum minore intrant vehementia. Ob magnam quod lucis influxus asthmaticis affert emolumentum, aegrotantibus suadendum esset, ut noctu in eorum cubiculo lampas accensa praesto sit.

Quod si fieri non potest illico tamen, quam primum prodromi accessus sese manifestare incipiunt, lumen adportandum curent. Andral, ipse morbo hocce laborans, adfirmat eum praesente candelae luce magnum semper

persensisse levamen. Idem auctor etiam mentionem facit, quod, corpus suum aut lectum calefaciendo (primo statim prodromorum vestigio intrante), insultus vix non semper praepeditus fuerit. Eadem ratione, inquit idem, accessus iteratus rarissime apparuit, si illico post primum insultum balneum vaporosum cum subsequis corporis totius frictionibus in usum vocavit. E converso autem, ligaturae extremitatum inferiorum, quas Sennert ad insultum instantem praecavendum suadet, et Jolly in plurimis casibus ut comprobatas laudat, ab Andral semper absque omni effectu applicatae fuere.

In morborum therapia superstruenda jam prae oculis occurrit de sanguinis missionis convenientia, vel non, relate ad quam commonere debemus ab ipsa ut plurimum asthmatis curationis initium suscipiendum esse. Re quidem vera sive per paroxysmorum vehementiam sanguinis major aliqua ex nobilioribus partibus quantitas adeat, sive ex plethora, angiosthenia, congestione, phlogosi, sive ex organicis cordis vitiis sanguinis circuitum praepedientibus morbus foveatur, illam quam maxime conferre debere unicuilibet patescit; sanguinis enim copiam imminuendo, et ipsius circulum liberiorem reddit, et funestissimos congestionis vel inflammationis effectus praecavebit. Hinc etiam, pro re nata, bis, ter, et pluries sanguinis evacuatio repetenda, sive per phlebotomiam obtineatur, sive per hirudines haemorrhoidalibus ut plurimum vasibus admotas. Verum praesentibus semper circumstantiis respectus habeatur, caveatque semper medicus ne frequentes nimis sanguinis detractiones jubeat, talique ratione magis lugendos, ut sententia utar celeberrimi Lieutaud, miseris aegrotantibus morbos inducat. — Sanguinis missio juvenibus prae senibus, maribus prae feminis, magisque illis

convenit, quorum morbus a suppressa quadam evacuatione ortum duxit.

Praestat interim alvum solutam servare, sive purgantium, sive emollientium clysmatum, quae maximopere prodesse solent, ope. In purgantium tamen, sicuti in emeticorum, quae a nonnullis laudantur, usu, irritantia et acriora consulto vitanda sunt. Hinc mitiora potius in auxilium vocentur, quemadmodum essent: pulpa et decoctum fructuum tamarindorum; serum lactis tamarindinatum vel tartarisatum; pulpa cassiae et prunorum; manna electa; oleum seminum ricini, amygdalarum dulcium; cremor tartari; magnesia sulphurica et carbonica, et sic porro. Clysmata ex floribus sambuci, meliloti, verbasci, paeoniae, lilii albi, olei chamomillae cocti etc. magna cum aegrorum emolumento sub paroxysmo adhiberi fertur. Praeter haec autem ingens remediorum farrago contra adfectum, quem disputandum suscepimus; passim a medicinae cultoribus laudata fuere et laudantur; ea tamen omnia hic locorum referre nostrum non est consilium, illaque tantummodo, quae magis concelebrantur, traditurì sumus.

„Ubi scabies, vel ulcera retroacta, inquit Hoff-„mannus, vel praemature consolidata sunt, insignem „laudem merentur remedia sulphure parata, quippe quae „has sordes ad cutem revocandi magnam vim possi-„dent" [1]). Ubi vero podagra vel arthritis repulsae in morbi causa fuerint, haec ad exteriora revocanda sunt pediluviis potissimum calidis et irritantibus, quorum usui si frigidorum potuum sumptionem addas, magnas, referente Castel, etiam in aliis asthmatis speciebus,

---

[1]) Med. rat. syst. l. c. p. 154.

suppetias attendere licet. Porro quammaxime hoc in morbo extollitur squillae marinae ejusque praeparatorum medicata virtus, quae veteribus etiam innotescebat, utpote quam Coelius Aurelianus, Paullus Aegineta, Leutinius, Hoffmannus, aliique memorant atque commendant, et potissimum ubi inchoantis malique hydropis subsit metus, vel ab ipso asthma sustineatur. Inter scillae vero praeparata palmam meretur in asthmatis curatione ejusdem oxymel, quod ut verbis utar Floyeri „sensus acuit, respirationem facilem reddit, co„haesionem juvat, alvum laxat, urinas movet, flatus dis„sipat, et prae omnibus contra asthma egregia praestat."

Coffeae deinde infusio plures habet laudatores, quae quidem maximum aliquando, praesertim sub paroxysmo, emolumentum affert. Constat vero ab observationibus alias e converso malum per illam adaugeri.

Etmüllerus raphani succum et nicotianae syrupum laudibus extollit.

Opium, hyosciamus, dulcamara, hyssopus, allium cepa, cinchonacea, arnica montana, martialia, murias barytae, flores zinci ect. optimos nonnunquam effectus praebuisse feruntur. Relate vero ad opium monendum est ex incauto ipsius usu ingentia damna profluere posse, atque, ut cum Quarino loquar, aegros eo adduci posse ut fere suffocentur [1]; quid quod de caeteris in stimulanti vi pollentibus remediis repetere decet.

Laudantur praeterea a nonnullis antimonialia, spiritus cornu cervi simplex vel succinatus, liquor ano-

---

[1]) Op. c. p. 71.

dynus mineralis Hoffmanni, laudanum liquidum Sydenhami, camphora, marrubium album, aetheres, tussilago, achillaea montana, artemisia, acida mineralia magisque vegetabilia.

Ipecacuanhae virtutem celebrat Wedelius et Petit maximo cum aegrorum emolumento ipsa a duobus usque ad quinque grana suppeditata, se usum fuisse testatur.

Ex triginta vel quadraginta liquoris anodyni guttis in graminis vel camphorosmae monspeliacae decocto porrectis salutares effectus consecutos esse tradit praeclarissimus Alibert.

Recamierus asthma quoddam ad sanationem perduxit antiscorbutici vini ope.

A nonnullis commendatur nitras argenti, phosphorum, cujus usum Alibert autem suspectum declarat.

Nucem vomicam utilem defendit Hahnemannus, digitalem purpuream proficuam tradunt Johnston et Darwinius, cicutam Quarinus et Störkius. Lentin, Hufeland et Raggi moschi virtutes conclamant; asa-foetida, gummi ammoniacum et castoreum in Aegineta atque Aëtio laudatores habent.

Inter remedia, quae in asthmate profuerunt jodum ipsum, mercurialia, arsenicum, praecipue in guttis arsenicalibus Fouleri, enumerantur. Aquam calcis Burletus, spongiam marinam suadet praelaudatus Quarinus.

Conferunt quoque fomentationes et frictiones aromaticae, et spirituosae supra pectus et intra scapulas peractae; conferunt balnea frigida, vel tepida (calida nocent), emollientia, saponacea, aromatica; conferunt frictiones ad extremitates, clysmata irritantia, vesicantium, rubefacientium, setaceorumve adplicatio.

Frictiones et tinctura cantharidum laudat Weikardius.

Krimer et Laennec commendant infusum foliorum laurocerasi, et Laennec praeterea quoque praeparata acidi hydrocyanici.

Elliotson Lobeliae inflatae specificum contra asthma adscribit effectum; similem exserit effectum ac nicotiana tabacum, nonnisi quippiam majorem atque magis volatilem.

Stright hoc remedium bis in usum vocavit contra asthma spasmodicum, cujus insultus valde crebri et vehementes intrabant. Porrigebat viginti ad triginta usque guttas tincturae in parva aqua destillatae quantitate; post usum triduanum hujus remedii accessus morbi penitus evanuere.

Inspiratio deinde emollientium, narcoticorumve vaporum, vel ex tinctura aetherico-sulphurica, aut balsamis peruviano vel tolutano prodeuntibus, sub datis circumstantiis, convenire possunt. Neque oxygenii sive meri, sive aëri commixti per pulmones attractio a medicis oblita fuit, mirabilesque ab eodem obtenti enarruntur effectus adeo, ut ex viginti duobus aegrotantibus duodecim ab ipso salutem recuperasse dicatur. Baglivius autem campestrem aërem in asthmatis curatione

quammaxime commendat, et jam pluries laudatus Hoffmannus de hac re sequentia tradit:

„In curatione, inquit ille, non minus ac praeser-„vationem asthmatis nostri aliorum remediorum vim „egregie secundat aër, qui quo lucidior, purior atque serenior est, eo majorem asthmaticis fert opem ..." [1]).

Hisce tenuem diatribam ad finem perduximus. En, benevole Lector quae de asthmate colligere et tradere potui. Si manca tibi videtur opella, virium, non voluntatis defectum criminare, atque erroribus, in quos passim offendes, benigno, iterum iterumque rogo, animo parce.

---

[1]) Med. rat. sympt. l. c.

# Theses defendendae.

I.

Medicinae vera mater est empiria, systemata et theoriae ipsius sistunt flores.

II.

In omni febri nervosa ocius, aut serius intestinorum erosiones.

III.

Omnis psychopathia curam somaticam poscit.

IV.

Cerebrum mentis, animi functionibus praecordia praesunt.

V.

Remedium quo simplicius eo melius.

VI.

Pneumonia lobularis est discriminis summi.

VII.

Solus amauroticus vere coecus.

VIII.

Mors non datur in rerum natura.

IX.

Nostalgiae unicum remedium solum natale.

X.

Perforatio sectionem caesaream non reddit inutilem et supervacaneam.

XI.

Mercurius non est remedium specificum contra morbum syphiliticum.

XII.

Dantur morbi occulti.

XIII.

Materiam inter et vim nullum obtingit in subjecto discrimen.

*Töltényi.*

XIV.

Solum ingenium medicum adjutorem veritatis et cognitionum reddit.

XV.

Sedes morbi ex functione organi laesa ut plurimum dignoscenda.

XVI.

Homines ad deos nulla re proprius accedunt, quam salutem hominibus dando.

*Cicero.*